

anuectitur, sicut aggravat in foro terreno apud homines. Quomobrem in hoc non est ponenda parabola similitudo et comparatio, sed in eo, in quo Christus illam collocat et parabolam applicat, vers. 33, scilicet Iesus iis qui proximis suis offensas non remittunt, offensas in se etiam admissas jure talionis non remissurum: offensas, inquam, quas adhuc habent, vel aliunde contraxerunt, aut quas hoc ipso quo fratri penitenti offensam nolunt condonare, sed in eum varie et atrociter seviunt, contrahunt. Quocirca peccata semel a Deo dimissa, semper esse dimissa, nec ullo casu a Deo revocari docent Theologi cum D. Thoma, III part., Quæst. LXXXVIII, art. 4 et 3.

Tertio. Dico tertio, hæc vera sunt, sed non sufficient, nec exhauriunt fundum, vim et nervum hujus parabole; in ea enim expresse dicitur: « Et iratus dominus tradidit eum tortoribus, donec redderet universum debitum, » scilicet decem millia talentorum jam dimissum, vers. 24 et 27, ac subdit: « Sic et Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, » ut scilicet revocet omnia præterita vestra peccata jam remissa, sicut dominus revocavit præteritum servi debitum jam remissum.

Dicitur ergo debitum hoc et culpa jam remissa revocari et redire per immisericordiam hanc, et ingratitudinem subsequentem: *Primo*, quia immisericordia hæc est peccatum mortale; nolle enim remittere offensam proximo, est fovere odium, iram et vindictam contra proximum, quod liquet esse peccatum mortiferum, ac proinde per illud idem status peccati et reatus gehennæ reddit, qui erat prius: nolens enim remittere, fit reus ire Dei et gehennæ, sicut erat ante ob alia scelera. Cum enim quis damnatur, perinde est ob quod peccatum damnatur. Hoc autem peccatum est irremissibile, quia quamdiu quis non vult proximo remittere offensam, tamdiu Deus illi non remittit culpam propriam. Hoc ipso ergo, quo simile novum immisericordiæ peccatum committitur, per illud quocumque præterite in Deum offense reviviscere et revocari videntur, quia reviviscit status peccati et reatus gehennæ.

Secundo, quia ingratitudo hæc valde aggravat peccatum, adeoque mortaliter, si credimus D. Solo, in IV, dist. XXXII, art. 3, qui proinde illam penitentem in confessione necessario esse exprimendam asserat. Alii tamen mitius censent ingratitudinis circumstantiam tactum venialiter aggravare peccatum, cui annexa est: nec enim ingratitudo hæc tanta est, quantum est ipsum beneficium aut quantum est peccatum, cui conjungitur. Hæc enim ingratitudo nullibet peccato annexa est; crescit tamen ejus malitia et culpa proportionatim, ut quo majus tunc beneficium, aut peccatum illi remissum, eo major sit sequens ingratitudo, sed intra suos limites jam dictos; ingratitudo ergo acceptæ remissionis præterita peccata quodammodo revocat, hoc ipso quo sequens pecca-

tum aggravat. Porro, Theologi docent illam maxime cerni et æstimari in quatuor peccatorum speciebus, scilicet in odio, apostasia, obstinatione et impenitentia: hæc quatuor enim directe repugnant principio remissionis peccatorum, scilicet fidei, aut charitati, aut penitentia.

Frater odit, apostata fit, spernitque fateri, Penituisse piget, pristina culpa redit.

Ita D. Thomas, III part., Quæst. LXXXVIII, art. 4 et 3.

Tertio, licet hæc ingratitudo in se subinde non sit mortale peccatum, tamen sæpe mortalium peccatorum est causa. Deus enim ob hanc ingratitudinem majora gratiæ auxilia peccatori subtrahit, ac permittit hominem gravius a carne et demone tentari: unde fit ut in peccata mortalia plura et gravia probatur, per quæ reddit illa prior culparum et poenarum multitudo, per decem millia talenta significata. Hæc enim in illis virtute quasi continetur. Tantumdem enim ab illo repetit Deus, quantum erat prius debitum, perinde ac si illud nunquam ei remissum fuisset: ipse enim hæc remissione ingratum et indignum se præbuit, dignumque esse, qui in pristina debita, licet per alia scelera relaberetur, ut in eo impleatur illud: « Judicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam, » Jacobi II, 13. Ita Franciscus Suarez et alii cum D. Thoma, III part., Quæst. LXXXVIII, art. 4 et 3; fusc hæc de re agit Ecclesiasticus, xxvii, 4 et seq., ubi malis probat offensas in proximum esse condonandas, sicut Deus nostras nobis condonat. Vide ibi dicta.

33. SIC ET PATER MEUS CELESTIS FACIET VOBIS, SI NON REMISERITIS UNUSQUISQUE FRATRI SUO DE CORDIBUS VESTRIS, — scilicet offensas et peccata; Syrus, *errata ejus*. « Sic, » nimirum sicut herus ille, qui a servo non tantum debita crudelitatem ejus sequentia, sed et antecedentia jam dimissa reposcit, uti jam ostendi. « De cordibus vestris, » *q. d.* Ex ipso cordis fundo, multi enim ore dimittunt, sed non corde; felle ergo rancoris est imo cordis ejectione, jubet substitui Christus mel amoris. Igitur hæc parabola docet, quam grave sit Deoque invidiam, servare iram, rancorem et vindictam in animo adversus proximum, qui nos offendit; ac vice versa, quam plium Deoque gratum sit illa deponere ac in amorem convertere, uti Deus peccatorem penitentem in gratiam et charitatis suæ viscera recipit, omniumque præteritorum delictorum, perinde ac si nunquam commissæ essent, obliviscitur. Porro, id non semel, sed septuagies septies, id est semper et toties quoties proximum offensam poenitet, facientium est. Ad hoc enim probandum, Christus induxit parabolam decem millium talentorum, id est debiti plurimi et maximi. Intemur ergo nos, qui sumus homuli et homunciones, Deum, qui quotidianæ nostras contra eum offensas, illasque

graves et plurimas, quotidie, adeoque quoties nos poenitet, ex animo condonat, ideoque quotidie, imo sæpe per diem jubet nos orare: « Di-

mitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Vide dicta cap. vi, 12 et 14.

CAPUT DECIMUM NONUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Pharisei querunt a Christo, an liceat quacumque ex causa dimittere uxorem? Respondet Christus negative, ac revocat libellum repudii permissum a Moysæ, atque matrimonium ad primam sui institutionem et insolubilitatem reducit. *Secundo*, vers. 11, commendat calibatam. eunque præfert matrimonio. *Tertio*, vers. 13, parvulis applaudit et benedicit, promittitque regnum caelorum. *Quarto*, vers. 15, cuidam inquirenti vitam in caelum, assignat observationem mandatorum, eidemque perfectiora postulanti suggerit, ut suas opes det pauperibus. Ille hoc audiens abiit tristis: unde dicit Christus ægre divites salvari. *Denique*, vers. 27, Christus Apostolis pauperibus se pauperem sequentibus promittit thronos duodecim ad judicandum duodecim tribus Israel; cæteris vero sua et suæ amore Christi relinquentibus, promittit centuplum et vitam æternam.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem; 2. et secutus sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi. 3. Et accesserunt ad eum Pharisei, tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? 4. Qui respondens, ait eis: Non legitis, quia qui fecit hominem ab initio, masculinum et feminam fecit eos? 5. Et dixit: Propter hoc dimittit homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. 6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separat. 7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? 8. Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. 9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur. 10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. 11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. 12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat. 13. Tunc oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos. 14. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere a me venire; talium est enim regnum caelorum. 15. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. 16. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? 17. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. 18. Dixit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices. 19. Honora patrem tuum, et matrem tuam; et diliges proximum tuum sicut teipsum. 20. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi a juventute mea; quid adhuc mihi deest? 21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vende quæ habes, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me. 22. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. 23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum. 24. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum. 25. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit

salvus esse? 26. Aspiciebat autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possible sunt. 27. Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? 28. Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. 29. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. 30. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

1. ET FACTUM EST, CUM CONSUMMASSET JESUS SERMONES ISTOS, MIGRAVIT A GALILEA, ET VENIT IN FINES JUDEAE TRANS JORDANEM. — Eadem est haec historia cum ea quam narrat Marcus, x, 1, et Lucas, ix, 54, et, ut videtur, cum ea quam narrat Joannes, vii, 1. Ita Jansenius, Franciscus Lucas et alii, licet de illa Joannis neget Maldonatus, cujus argumenta ex ipsa contextus explicatione solvantur. Ex Joanne liquet haec contigisse sub festum Scoponepiegise sive Tabernaculorum, quod celebrabatur in septembri; ad illud enim tendebat Christus, ut sensim pararet se ad mortem; sequenti enim mario Hierosolymae fuit crucifixus. Vide Chronotaxin. Addit Lucas Christum per Samariam iter fecisse: unde sequitur Christum ex Samaria, relicta via recta ducente Hierosolymam et in fines Judaeae ab Aquilone, profectum Jordanem versus, eoque trajecto, petivisse per Peraeam fines Judaeae ab ortu, ubi cum haesisset minimum, turba populi sanata ac dimissa, profectum Hierosolymam ad medium jam Scoponepiegiam, quod habet Joannes, vii, 14. Ita Franciscus Lucas. Hinc intelliges quid sit « trans Jordanem. »

TRANS JORDANEM. — Tam Judaea, quam Galilaea, non trans, sed circa Jordanem erat, sed dicta est « trans Jordanem » a primo ejus trajecto, quo Israelitae profecti ex Aegypto transierunt Jordanem, veneruntque in Judaeam et Galileam, vel certe trans, id est ex Jordanem: vide dicta cap. iv, 13; ita Maldonatus; aut potius, quia Christus, relicta recta Hierosolymae via, perrexit ad Jordanem, eumque trajecto et venit in Peraeam sive transannam regionem, uti jam dixi: « enim trans Jordanem, referendum est ad « venit, non autem ad fines Judaeae, ut patet ex Marco. Christus enim circa fines Judaeae trajecto Jordanem, ut longius abesset ab oculis et auribus Phariseorum, cum turbas doceret et sanaret. Peraeam enim erat trans Jordanem, unde a Guilielmo Tyrio, Adrichomio et aliis passim, Peraea vocatur regio trans Jordanem, vel regio transannana.

2. ET SECUTE SUNT EUM TURBAE MULTAE, ET CURAVIT EOS IBI. — Secute sunt, non tam ex Galilaea, ibi voluit enim iter suum latere, ut ait Marcus et Joannes, quam ex aliis regionibus quas perturbabat, vel quae vicina erant; secute sunt autem exiite fama Christi, ut eum praedicantem audi-

rent et ab eo a morbis suis sanarentur. « Ibi, » scilicet in finibus Judaeae, ibique eos domum remisit: noluit enim cum tanta populi turba Hierosolymam ingredi, ne Phariseorum animos jam sibi necem machinantes magis irritaret, neve eis occasionem daret accendendi se de commotione et seditione populi excitata; hoc enim illi coram Pilato objecerunt.

3. ET ACCESSERUNT AD EUM PHARISEI, TENTANTES EUM, ET DICENTES: SI LICET HOMINI DIMITTERE UXOREM SUAM QUACUMQUE EX CAUSA? — Nam aliqua gravi de causa id licere non dubitabat ex Deuterono., xxiv, 1 (1). Ita Origenes, S. Hieronymus et Beda. « Accesserunt, » non tunc cum Jesus ex finibus Judaeae perrexit Hierosolymam ad celebrandum festum Tabernaculorum, « ait Joannes, vii, 1, sed cum, celebrato ibi festo, rediit ad fines Judaeae, et Jordanem rursus trajecto, ut patet Joan. x, 40. Matthaeus enim silet tam abitum Christi in Jerusalem, quam inde rediit. Porro, Joannes sic habet: « Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum, » scilicet in Ennon juxta Salim, Joan. iii, 23, ut nimirum ex hoc loco reficiat turbis memoriam testimonii, quod Joannes ibidem Christo perhibuerat, scilicet ipsum esse Messiam verumque Dei Filium. Videtur haec quaestio de dimissione uxoris tempore Christi, uti et jam, valde fuisse controversa, ac cornuta et captiosa, ideoque cum Christo proposuerunt Pharisei, ut eum tentarent, caperent et carperent. Si enim Christus diceret non licere uxorem dimittere, in multorum divitum et carnalium, qui contrarium faciebant, indignam incurrebat; si vero diceret id licere, suggillasset doctrinam ejus velut imperfectam

(1) Eo tempore, hoc est, quadragesima circiter annos ante Christum, duae opiniones inter se apud Judaeos contendebant de causis quibus ex lege uxor a marito dimitti posset. Prior, quam patrocinabantur discipuli rabi Schammai, adulterium aut aliam gravissimam causam requiribat; Huius autem ejusque assaecla divortium adhibebat cum quacumque de causa uxor marito dimiteret. Cui controversae locum dederat Deuter. xxiv, 1: « Si acciperit homo uxorem, et non invenit gratiam ante oculos ejus propter aliquam « solitatem, scribet libellum repudii. » Utinamque opinionem rejicit Christus, et legem adstruit ita a moribus et omnium praxi alienam, ut ipsi Apostoli mirantes exclamant: Non expedit nubere, vers. 10.

et carnalem: ejus, inquam, qui perfectionis et spiritus volebat esse magister, quasi doctor ex caelo missus. Sic etiamnum Aethiopes sive Abyssini ebreo dimittunt uxores aliasque ducunt, imo eas habent subinde annuas vel menstruas duntaxat. Vid. Damianum Goes in Aethiop.

4. QUI RESPONDENS, AIT EIS: NON LEGISTIS, QUAE QUI CREAVIT HOMINES, AB INITIO MASCULUM ET FEMINAM FECIT EOS? — Nonnulli ex hoc loco putant Adamum a Deo creatum esse hermaphroditum, ac utrumque habuisse sexum, ut simul esset masculum et femina: sed apage has nugas. Sensus ergo est, q. d. Cum sancta Scriptura, Gen. i, 27, in aliis animalibus non dicat Deum fecisse masculum et feminam, sed in solo homine, hoc ipso significat conjugium solius hominis a Deo esse institutum, idque inter unum masculum tantum et unam feminam, puta inter Adamum et Evam, ut ille hanc dimittere et aliam ducere non possit. Ita S. Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. Rursum ex eo quod ex uno Adamo facti sunt duo, scilicet Adam et Eva, atque ex eo quod Eva ex Adamo sit formata, ostenditur eadem monogamia, scilicet uxorem non debere separari a viro, cum ejus sit quasi pars et membrum; quia, ut ait Plato, Dial. De amore, ex viro uno et muliere una, quasi ex duabus imperfectis partibus unus perfectus fit homo. Ita S. Augustinus, lib. XIV De Civit., cap. xxii. Sicut ergo membrum, v. g. caput, non potest separari ab homine origine et formatione, matrimonium unius viri et unius feminae debet esse perpetuum et insolubile, ita ut solvi nequeat nisi per mortem, sicut in homine anima vel caput a corpore solvi nequit nisi per mortem. Unde explicans, subdit: « Propter hoc dimitte homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae. » Addit Plato, et ex eo S. Basilius, lib. De Virginit., post initium, haec de causa virum adeo appetere mulierem, tanquam partem a se praecisam, ut sicut magnas ad se trahit ferrum, sic femina atrahat virum.

5. ET DIXIT: PROPTER HOC DIMITTE HOMO PATREM ET MATREM, ET ADHAEREBIT UXORI SUAE. ET ERUNT DUO IN CARNE UNA. — « Et dixit » scilicet Deus, per os Aedae, quasi prophetae, instituens matrimonium in Adamo et Eva, ejusque stabilitatem sanciens, Genes. ii, 24. Vide ibi dicta. « Propter hoc, » quod scilicet mulier formata ex viro, puta Eva ex Adamo, sit caro de carne ejus, et os de ossibus ejus, uti in Genesi processit; « dimitte homo patrem et matrem, et adhaerebit, » Graece *ἑνωθήσεται*, id est *agglutinabitur*, id est intime, indivisue adhaerebit uxori suae, quae arctissimo matrimonii glutino cum ea copulatus, ut relicta societate et saepe domo patris et matris, cohabitabit uxori suae. Quare impertinens, imo ineptus est sensus Hugonis, qui sic explicat, q. d. « Dimittit homo patrem et matrem, » id est, excepto patre et matre, cum reliquis omnibus poterit quis matrimonium inire. Talis quoque est aliorum, qui sic exponunt, q. d.

Plus diligit homo uxorem, quam patrem et matrem, ut dicitur *Eccl. iv, 23*. Hoc enim, licet subinde verum sit, huic tamen loco non convenit.

ET ERUNT DUO IN CARNE UNA. — Graece *ἑνωθήσεται*, id est in unam carnem, ut scilicet sint una caro, ut explicat Christus vers. sequenti: vulgo per corporum commixtionem hoc fieri censent; purius et simpliciori Hebraismo vir et uxor sunt una caro, ut verit Syrus, id est sunt unus homo et una persona civilis, caro enim per synecdochon notat totum hominem, q. d. Sicut ergo pars corporis, v. g. cor, vel venter, non debet separari a corpore, ita nec vir ab uxore. Hinc moraliter sequitur, quod vir et uxor se mutuo amare debeant, sicut cor et anima amat suum corpus, et corpus suum cor et animam, Ephes. v, 23. Corpus hinc sequitur una et communis utriusque corporis potestas, quod scilicet vir habeat jus in corpore uxoris quasi suum, et vice versa, uti docet Apostolus, 1 Cor. vii, 4. Plura de hoc loco dicit Genes. ii, 24. Symbolice et metonymice S. Hieronymus, Beda et S. Thomas: Vir et uxor, inquam, sunt una caro, quia generant eundem filium, quia utriusque parentis communis est caro.

6. ITAQUE JAM NON SUNT DUO, SED UNA CARO (id est unus homo, una persona civilis, uti jam dixi) : QUOD ERGO DEUS CONJUNXIT, HOMO NON SEPARAT. — Pro « conjunxit, » Graece est *ἑνωσεν*, id est conjungavit, sive in unum jugum conjunxit: unde *ἑνωσεν*, dicitur conjuges, quia sicut duo equi ad unum jugum copulantur in curru, ut eum protrahent, sic duo conjuges copulantur ad idem jugum matrimonii, ut illud sustineant ex eoque proles procreent et educunt. Duplex est hic ratio, qua Christus probat viro non licere dimittere uxorem. Prior, q. d. Dimissio uxoris et ab ea viri divortium est contra naturam, sicut contra naturam est, ut una caro et unus homo dividatur in duos; ergo id fieri non debet. Posterior, divortium hoc est contra Dei institutionem; ergo si fiat, imple fit: distrahitur enim id quod Deus conjunxit. Quis audeat temerare quod Deus conjunxit? Quis audeat dividere quod Deus sociavit et conjunxit? Quis audeat opus Dei creatoris, puta unum hominem, discernere, aut carne et membro suo truncare et mutilare? Perperam ergo Erasmus, in 1 Corinth. vii: Hoc, inquit, Deus conjunxit, quod recte conjungitur; hoc Deus dirimit, quod recte dirimitur: quasi possint separari conjugia male et inconstituta inita, suorum, non Deo, sed diabolo. Christus enim loquitur de natura, ac naturali et pri' aaria matrimonii institutione, secundum quam matrimonium semel initum, quomodocumque vel cuius. cumque suasi initum, est indissolubile. Hoc enim exigit natura, ut proles alia post aliam confuino ex matrimonio subnascentes, commodè ab utroque parente educari possint; quae educatio in homine difficilis est et lenta, duraturque ad annum

Quidam ex hoc loco male putant Adamum fuisse hermaphroditum.

Vers. 4. Mar. x. 2. Quae de uxoria dimissione.

Vers. 6. Mar. x. 8. Quod Deus conjunxit, homo non separat.

Matrimonium indissolubile.

etatis vigesimum et ultra : secus est in bestiis, quae statim intra paucos menses, imo hebdomadas, plane adolescunt et perficiuntur, ut educatione patris et matris amplius non indigeant, quare tunc solvitur eorum conjugium. Ratio ergo a priori, cur matrimonii insolubilitas sit juris naturae, et cur intra naturam sit fornicatio, pollutio, divortium et polygamia, est haec, quod Deus, qui est Dominus naturae, ac matrimonii et corporum nostrorum, ita primitus in Genesi et prima mundi rerumque omnium productione instituit, limitavit et sanxit, ac nobis ad copulam tantum conjugalem jus et usum corporum dedit; et si alter iis utatur, contra voluntatem Dei, qui est summus Dominus, et contra jus ab eo datum, iis abutimur. Id ita esse liquet ex eo quod olim in lege naturae et Mosaisca, Deo in jure hoc primitus a se sancto dispensante, et novum jus dante, licita fuerit polygamia et libellus repudii. Sic Osee, cap. 1, jussu Dei uxorem duxit fornicariam. Sic et nunc Deus posset dare alicui uxorem tantum ad unum vel alterum actum copulae; ac consequenter facere, ut actus qui alias esset fornicatio, jam non sit fornicatio, sed usus conjugii. Vide dicta Osee, 1. Porro finis et causa, cur Deus primitus sanxerit tantam matrimonii insolubilitatem, prima fuit, ut esset major unio et amor conjugum inter se. Secunda, quia natura in homine ordinare hoc quasi exigit, ut proles commode ab utroque parente possint educari. Haec enim educatio in homine est ardua et longa, cum interim aliae et aliae proles subsancantur, quae similiter ab utroque educandae sunt. Tertia causa fuit allegorica, ut scilicet matrimonium insolubile esset typus et figura insolubilis conjugii et unionis Verbi divini cum carne nostra, et per eam cum Ecclesia, ut docet Apostolus, Ephes. v. 32 : « Sacramentum hoc magnum est, inquit, ego autem dico in Christo et Ecclesia. » Vide ibi dicta.

7. DICUNT ILLI : QUID ERGO MOYSES MANDAVIT DARE LIBELLUM REPUDIII, ET DIMITTERE ? — Pharisei « dicunt » et obijciunt « illi, » scilicet Christo : « Quid ergo Moyses mandavit ? » Ut fortior sit objectio dicunt, « mandavit ; » cum tamen, ut recte invenit Christus, vers. sequenti, Moyses hunc libellum repudii tantum permisit. Erat tamen hic aliquod mandatum, non absolutum, sed conditionatum. Mandarat enim Moyses, ut si Judei vellent dimittere uxores, id non facerent nisi dato libello repudii. De hoc libello, quis et qualis fuerit, at quibus casibus et caeremoniis fuerit licitus, quisque usus fuerit finis et effectus, fuse dixi Deuter. iv, 1 et sequenti. Supple hic ex Marco, cap. x, vers. 2, Christum Phariseis rogantibus, an liceret uxorem dimittere, primo respondisse et dixisse : « Quid vobis haec de re praecipit Moyses ? Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. » Mox Christus, ut ait hic Mattheus, vers. 14, primam

matrimonii institutionem et insolubilitatem a Deo institutam explicuit. Replicarunt Pharisei : « Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere ? » Respondit Jesus, Moysen id permisit ob duritiam cordis eorum; ab initio autem non fuisse sic. Sic ergo proponendo verba quae habet Marcus, ac subtexendo verba quae habet Mattheus, eundem et a Marco concilia.

8. AUT ILLIS : QUONIAM MOYSES AD DURITIAM cordis VESTRI PERMISIT (ecce hic invertit « mandavit » in « permisit ») VOBIS DIMITTERE UXORES VESTRAS; AB INITIO AUTEM NON FUIT SIC. — *g. d.* Moyses permisit dimittere uxores vobis exosas, ne eas occideretis, si eas non possidetis dimittere : haec enim fuit duritia et carnalitas cordis vestri, ut malletis illas necare, quam carere voluptate novi et exoptati conjugii.

AB INITIO AUTEM NON FUIT SIC. — Quia Deus ab initio mundi inter Adamum et Evam instituit sanxique inviolabile et insolubile conjugium. Ab initio ergo naturae recte a Deo instituta sic fuit; vitata vero hominis natura per peccatum, hanc Dei institutionem mutavit et corripuit, ac libellum repudii et polygamiam induxit.

9. DICO AUTEM VOBIS, QUIA QUICUMQUE DIMISERIT UXOREM SUAM, NISI OB FORNICATIONEM, ET ALIAM DUXERIT, MOECHATUR; ET QUI DIMISSAM DUXERIT, MOECHATUR. — « Dico : » bis hoc dixit Christus : *Primo*, publice hoc loco Judaeis et Phariseis : unde hic novam hanc legem promulgavit, per quam sustulit libellum repudii, ac matrimonium ad primam suam institutionem et insolubilitatem revocavit. *Secundo*, paulo post privatim idipsum dixit et repetit coram discipulis, *Marci* cap. x, 10.

Dico, — ergo, id est edico, et quasi novam legis legislator veterisque reformator sancio, ac matrimonium ad originalem suam rectitudinem et firmitatem reduco statuoque, ut qui uxorem suam dimiserit et aliam duxerit, habeatur et reipsa sit adulter.

NISI OB FORNICATIONEM, — id est nisi ob adulterium : quae enim in solutis est fornicatio, in conjugatis est adulterium, quod solvit matrimonium quoad thorum, non quoad vinculum. Adulter enim non servat fidem, quam dedit conjugii : unde a conjugio potest dimitti, juxta illud :

Frangenti fidem fides frangitur eider.

Ex hac exceptione Graeci, teste Guidone Carmella, tract. *De Haeresibus*, ac moderni haeretici colligunt et concludunt : « Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur ; » ergo a contrario, qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, et aliam duxerit, non moechatur. Unde censent ipsi per adulterium solvi matrimonium, non tantum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum, ita ut aliam uxorem ducere, et aliud matrimonium contrahere liceat. Ita Lutherus, Calvinus, Eras-

mus ac passim Lutherani, Calvinistae, Anabaptistae, atque e Catholicis, Catharinus et Cajetanus; itaque in praxi faciunt haeretici et Graeci. Verum hic est error damnatus a continua traditione Ecclesiae et a S. Paulo, *Rom. vii, 1, et I Cor. vii, 10 et 11*, ac diserte a Concilio Tridentino, sess. 24, can. 6 et 7. Ad argumentum ergo a contrario positum, respondet Paulus Burgensis hic, *Additione II ad Lyranum* (quem sequitur noster Ribera in *Malachie II*, num. 36), admittendo sequentem; sed addit Christum loqui duntaxat de lege veteri, in qua, ob fornicationem, licitum erat dare libellum repudii, per quod matrimonium solvebatur, ut liceret aliam uxorem ducere : sed huic responsioni obstat quod Christus hic aequae ac *Matthaei v*, diserte sua dicta, id est legem Evangelicam opponit Moysi et legi veteri, imo libellum repudii quem Moyses praemisit, auferit, vers. 8 et 9 : « Moyses inquit, ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, etc. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur. » Ecce hic clare Christus Moysi permissioni in libello repudii opponit suum dictum suamque sanctionem, quae libellum hunc revocat, illoque utentem damnat adulteri.

Dico ergo *primo* : Mellius S. Augustinus, lib. *I De div. conjug.*, cap. ix, *primo*, « nisi » accepti negative, ut « nisi ob fornicationem » idem sit, quod extra causam fornicationis. Favet Graeca et Syrus, quae habent : *Non adulteram*; quasi Christus tantum velit affirmare uxorem fidam et castam non posse dimitti; de infida vero, id est incesta et adultera, nil velit dicere, ad vitandam invidiam Pharisaeorum et populi, cui illo tempore licita et usitata erant adulterorum repudia et novae cum aliis nuptiae.

Secundo, « nisi » accipi potest proprie exceptivae, sed tunc non ad id quod sequitur, « et aliam duxerit, » sed tantum ad id quod praecessit, « quicumque dimiserit uxorem suam, » referendum est, ut ab illo duntaxat excipiat casum fornicationis, *g. d.* Quicumque dimiserit uxorem, quod non licet, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, hic moechatur. Favet *Aethiopic.*, qui vertit : *Quicumque aliam ob causam, quam ob fornicationem, dimiserit uxorem et aliam duxerit, moechus est.* Et *Persicus* : *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et non propter adulterium, et aliam ducit, moechus est.*

Tertio, planissime et aptissime cum Theophylacto et S. Augustino, lib. *Contra Adimantum*, cap. iii, hanc exceptionem ad utrumque referas, tam ad id quod sequitur, quam ad id quod praecessit, *g. d.* Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; moechatur, inquam, tum dimittendo uxorem, tum aliam ducendo, hoc est, bis moechatur : Christus enim utrumque respondet, quia utrumque quaesierant Pharisei, et utrumque est verum. Nam etiamsi

vir solum dimittat uxorem castam et innociam, nec aliam ducat, moechatur, tum quia violat jus matrimonii et uxoris suae, quod est quoddam moechari, moechia enim significat vitium directe repugnans matrimonio, quale est dimissio uxoris insontis; tum quia « moechatur, » id est facit eam moechari, uti explicat Christus, *Matthaei* cap. 33. Verba enim Hebraea conjugationis *Cal* saepe per *Hiphil*, id est activa simpliciter per duplicem actionem exponenda sunt, uti norant Hebraice periti. Unde tantum contrario sic inferas : « Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; » ergo qui dimittit uxorem ob fornicationem, et aliam ducit, non moechatur quidem dimittendo fornicariam, moechatur tamen aliam ducendo. Simile est, si dicas : qui jejuniun violat sine dispensatione, et se inebriat, hic peccat. Ergo qui non jejunit cum dispensatione non peccat, sed inebriando se peccat. Similis phrasia est *Matthaei* cap. v, 19, ut ibi dixi.

Dico secundo : Christus concedit hic viro divortium, quoad thorum, ob fornicationem uxoris, non autem matrimonii solutionem, ita ut ei liceat aliam ducere; patet id *primo*, quia Marcus et Lucas generale omnino habent sententiam (illa quae vera esse debet), et hanc exceptionem omittunt : sic enim habet Lucas, cap. xvi, 18 : « Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; » facit enim ei gravem injuriam, quia fidem et datam violat.

Dicoes : Cur ergo hanc exceptionem addit Mattheus ? Respondeo : Quia Pharisei duas quaestiones tacite proposuerant Christo : *Prima* erat, an quicumque ex causa liceret uxorem dimittere ? *Secunda*, an dimissa uxore, per libellum repudii solum esset matrimonium, et posset aliud iniri? Ideo enim dimittebant suam, ut ducerent aliam. Christus ergo utrique questioni respondit, idque, ut videtur, duabus propositionibus. *Prima* : Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, moechatur. *Secunda* : Quicumque aliam duxerit, moechatur : sustulit enim cum libello repudii etiam polygamiam, sive pluralitatem uxorum olim licitam. Itaque hic repetendum est « quicumque, » hoc modo : Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, et quicumque aliam duxerit, moechatur; Mattheus ergo hic, ut et alibi, brevitati studens, subintelligit « quicumque, » et utramque Christi responsonem in unam sententiam conflavit; voluit enim utramque presse et concise una propositione complecti; unde hic verum est illud : « Dum brevis esse laboro, observo flo. » Simile ostendi, cap. ix, 18. Probatur idipsum *secundo*, ex praecedentibus, ubi *Secundo* Christus absolute ex natura et prima institutione matrimonii, quam non tollit fornicatio, probavit matrimonium plane esse insolubile. *Tertio*, quia in sequenti casu haec exceptio intelligi nequit, ut dicatur : « Et qui dimissam, nisi ob fornicationem

nem, duxerit, mœchatur. » Sic enim melioris conditionis esset dimissa ob fornicationem, ut pote libera et potens aliud matrimonium inire, quam dimissa extra culpam suam; cum hæc non possit alium maritum ducere. Quarto, quia ita explicat Paulus, I Cor. vi, 10 et 11, ac Patres passim: S. Hieronymus, Chrysostomus, Beda hic, S. Augustinus, libris duobus *De Adulterii Conjugiis*, quos hæc de causa scripsit; Innocentius I, epist. *ad Exuper.*; Concilium Milevitan., can. 17; Foro Julienne, ca. 10; Nannetense, can. 10; Florentinum in *Lustrac. Armen.*, et Tridentinum, sess. 14, can. 6. Imo Origenes hic, *tract. 7*, acriter perstringit nonnullos sui ævi episcopos, tanquam indoctos, quod cum Tertulliano, lib. IV *Contra Marc.*, et Ambrosio, in I *Corinth.*, concedebant uxoribus secundas nuptias ob virorum adulteria, dicentes conjugii insoniti licere conjugem sentem et adulteratam dimittere, ac alteri copulari. Idem habetur in Concilio Elbertido, sess. 31, *Quæst. 1*, cap. *Si qua mulier*, et in Concilio Aureliano I, x. Sed hæc Conciliorum decreta aut apocrypha sunt, aut mutile et imperfecte citantur a Gratiano. Aliiter respondet Maltonatus, scilicet Concilia hæc permittere conjugii insoniti secundas nuptias post mortem uxoris adulteræ; uxori vero in penam adulterii non permittere secundas nuptias post mortem viri. Verum cap. *Si qua mulier* expresse agit de uxore adhuc vivente. Vide Thomam Sanchez, lib. X *De Divortio*, disp. II et sequent. Reliqua hæc pertinentia audivimus cap. v, 32, ubi ea explicuit.

10. DICUNT EI DISCIPULI: SI ITA EST CAUSA HOMINIS (VIRI) CUM UXORE, NON EXPEDIT NUBERE. — « Causa, » id est res et negotium ut vertit Syrus, q. d. Si ita se res habet conjugum, si tanta est conjugii insolubilitas, si tam arcte vir alligatus est uxori, ut nulla nisi fornicationis causa possit eam dimittere, sed cum ea, licet odiosa, rixosa, deformi, spurca, etc., debeat vivere et assidue conversari usque ad mortem, « non expedit nubere, » id est uxorem ducere, ut vertit Syrus. Græcum enim *χρηστός*, tam viris, quam mulieribus competit. Forte Noster verens « nubere » allusit ad servitutem et subjectionem, qua vir astringitur mulieri, ac non raro, si velit habere pacem, debet ei quasi se subdere, atque patienter ferre ejus meptias, querelas, jurgia, rixas, etc. Unde Comicus ait:

Uxori nubere nolo r. r. a.

Causam dat S. Chrysostomus: « Levius enim est, inquit, contra concupiscentiam præliari, et contra seipsum, quam contra mulierem malam. » Viderunt idipsum Gentiles. Unde Cato: « Mulier, ait, est malum necessarium, » et vere infidelibus malum hoc fuit necessarium; fidelibus vero est liberum et voluntarium, quia hi per Christi gratiam possunt colere virginitatem et celibatum, qui indelibus, Christi fide et gratia destituti,

est impossibilis. Sola enim natura concupiscentiam et carnis tentationem superare nequit. Illic illustris ille Thomas Morus, non *pæccat*, sed sapiens, sub Henrico VIII, Angliæ rege martyr, rogatus cur parvam duxisset uxorem? festive respondit: « Ex malis elegi minimum. » Ita Stapleton in ejus Vita. Archidamas quoque, rex Lacædæmonum, teste Plutarcho in *Apoph.*, mirantibus cur pusillam duxisset conjugem, pariet enim (inquirebant illi) nobis regulos, non reges, idem respondit: « Malorum selegi minimum. » Denique « conjugium est curarum abyssus, » uti docet S. Basilius, *Constit. Monast.*, cap. I.

11. QUI DIXIT ILLIS: NON OMNES CAPIUNT VERBUM ISTUD, SED QUIBUS DATUM EST. — Arabice, nisi qui donati sunt, scilicet Deo et continentia. Sic in religionibus conversi vocantur donati, scilicet religioni.

NON CAPIUNT. — Origenes et Nazianzenus, orat.

31 *De Tribus Eunuchorum generibus*, Græcum *ὁ χριστιανὸς* vertunt, non sunt capaces, sed capacitatem vocant propensionem naturalem ad celibatum et castitatem, quam non omnes habent. Verum melius *ὁ χριστιανὸς* veritas cum Nostro, non capiunt, ut vasa ætiora in se non suscipiunt, non approbant, non comprehendunt, non amplectuntur tantum tanque arduum celibatus consilium, sed ii soli « quibus datum est » magnum hoc continentia donum a Deo. Ubi nota, licet non omnes fideles habeant donum continentia, quo actu contineant, sicut non omnes justi habent donum perseverantia, quo actu in justitia perseverent, tamen sicut omnes justi habent donum perseverantia, quo in Dei gratia perseverare possint, si velint: sic pariter omnes fideles habent donum continentia in actu primo, quo possint continere, si velint, si videlicet vires et gratiam ad continentium assidue a Deo efflagitent, ac Dei gratia per custodiam oculorum, fugam otii, macerationem carnis, etc., cooperentur. Ita S. Chrysostomus, Origenes, Theophylactus, Euthymius et Hieronymus hic; S. Augustinus, in *Psal. cxxxviii*; S. Ambrosius, lib. III *De Viduis*; Tertullianus, lib. *De Monogamia*, et alii, et patet ex hoc loco: Christus enim hic æque ac Paulus, I Cor. vii, 7, cuiuslibet fidei suadet et consultat continentiam: nihil autem suadet et consultat continentiam: nihil autem suadet et consultat, nisi quod in hominis est arbitrio et potestate cum gratia Dei, quam scilicet Deus cuiuslibet postulanti preparat et offert. Secus est de dono prophetia, linguarum, curationum, miraculorum: hoc enim Deus non omnibus preparat et offert, sed paucis duntaxat a se electis ad commune fidelium. Donum. Audi S. Hieronymum: « Iis datum est, qui poterunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. » Sic et Euthymius: « Datum est, inquit, his qui petiverunt (petite enim, ait, et dabitur vobis): petentibus, inquam, non simpliciter, sed ferventer et perseveranter, et ut semel dicam, sicut oportet.

Significatum est ergo virginitatem Dei donum est. »

Legitimum
est Mo-
ri de
capite
natura
ponere.
Ideo Ar-
chidamas
respon-
dit.

Ver. 11.

Donum
continentia
est in
hominis
potestate
quæsitum
ne?

datum his qui petunt ut oportet. » Theophylactus: « Hoc loco, ait, datum est, valet, quibus cooperatur Deus. Illis aulem datum est, qui petunt: petite enim, inquit, » etc. Auctor *Operis Imperfecti*: « Quod autem dicit: Quibus datum est, non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur; sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratia acceperimus, nihil ex nobis valeamus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Evangelio Dominus dicit: Petite, » etc. S. Chrysostomus: « Sed si electionis opus est id, iniques, quomodo incipiens statim dicit: Non omnes capiunt, sed quibus datum est? Ut singulare id esse certamen perdiscas, non ut sorte datum necessitatem suspicaris. His enim datum est, qui sponte id eligunt: quod ideo dicit, ut ostenderet superiori nobis auxilio esse opus (quod quidem omnibus illud expetentibus paratum est), si volumus in hac lucta superiores evadere. » Addit S. Chrysostomus, licet aliqui a continentia excident, non debemus in proposito castitatis fieri pigiores: sicut milites, qui in pugna cadunt, non exanimant cæteros, sed potius ad fortius pugnandum acunt et accendunt. Denique idem Chrysostomus considerationem suggerit, per quam celibatus cuique non tantum possibilis, sed et facilis ostenditur: « Cogita tecum, inquit, si aut a natura eunuchus esses, aut injuria hominum effectus, quid faceres, cum et hujusmodi voluptate careres et nullam cærendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna premia rutilantesque coronas accipias, si ita vires, quemadmodum sine aliquo illi premio: imo vero multo facilius, tutius atque jucundius, tum quia spe retributionis roboraris, tum quia conscientia virtutis gaudes et ad hæc non ita ingentibus cupiditatibus fluctibus jactaris. Non enim sic amputatio membri, quemadmodum rationis frenum, imo vero sola ratio hujusmodi fluctus comprimit. Non enim a cerebro, aut a lumbis illum iniquissimum æstum hujusmodi dixerim, sed a lascivia mentis et cogitationis neglecta. » Porro, Auctor lib. *De Castitate*, qui falso S. Sixto Pontifici inscribitur (fuit enim Auctor hic Pelagianus), « datum » refert non ad continentiam, sed ad verbum, q. d. Non omnes capiunt verba mea, sed ii quibus datum est audire me ea explicantem: nam castitas, inquit, non est donum Dei, sed virtus proprii arbitrii et voluntatis. Si enim esset donum Dei, fatalis esset castitas iis quibus hoc donum Deus dat, aliis vero impossibilis. Rursus quomodo castitate mereretur regnum celorum, si esset donum Dei, et non electio liberi arbitrii? Ita hic Pelagianus, sed imperite. « Verbum » hoc non est aliud quam consilium castitatis, ut patet intuitu. Castitatem esse donum Dei, patet I *Corinth. vii, 7*, et *Sapient. viii, 21*. Vide S. Augustinum, lib. VI *Confess.*, cap. xi, cujus celebre est illud: « Domine, da quod jubes, et jube quod vis. Jubes continentiam, da continentiam. »

12. SUNT ENIM EUNUCHI, QUI DE MATRIS UTERO VAS SIC NATI SUNT; ET SUNT EUNUCHI, QUI FACTI SUNT AB HOMINIBUS; ET SUNT EUNUCHI, QUI SEIPROS CASTRAVERUNT PROPTER REGNUM CÆLORUM. QUI POTEST CAPERE, CAPIAT. — Qui cum possint esse viri propter Christum fiunt eunuchi, ait S. Hieronymus. Triplices hic eunuchi, id est castratos et impotentes ad generandum, assignat Christus, scilicet primo, qui a natura sunt tales; secundo, qui ab arte, qui scilicet sunt exsecti, ut custodian reginas et matronas nobiles a stupro; tertio, qui « seipros castraverunt propter regnum cælorum. » Alludit Christus ad Isai. lvi, 3, ubi eunuchos hos sub Christo futuros predict, eisque promittit nomen melius a filiis et filiabus, nomen, inquam, sempiternum. Vide ibi dicta.

CASTRAYERUNT. — Hæc vox duo significat:

Primo, nostri arbitrii esse cum Dei gratia non castrare, id est castos et coelibes efficere, idque perpetuo voto firmare et servare. Hoc enim significat vox « eunuchi, » et vox « castraverunt, » scilicet impotentiam moralem ad generandum, aliquo enim dixisset: Sunt qui se castrant, vel castrari nuntiant; jam dicit, « castraverunt, » id est est potentiam sibi abstulerunt, seque quasi exsecraverunt et inhabiles ad generandum effecerunt, scilicet per votum continentia. Ita S. Epiphanius, *heresi 68*; S. Fulgentius, lib. *De fide ad Petrum*, cap. II; S. Augustinus, lib. *De Sancta Virginitate*, cap. xxx. Secundo, « castraverunt » significat continentiam hæc in continente non fieri sine ingenti carnis lucta et dolore, perinde ac si genitalia exsecrarentur. Ita Nazianzenus, orat. 31.

Porro, Origenes hoc ad litteram accepit. Unde reipsa castitatis amore ipse seipsum castravit et membrum exsectit, sed perperam; tum quia non licet se castrando mutilare; tum quia libido castratione non restringitur, sed acuitur. Audi Chrysostomum: « Cum autem dicit, qui se castraverunt, non membrorum dicit abscissionem, sed malarum cogitationum interemptionem; maledictioni enim obnoxius est, qui membrum abscidit, etc., neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior. » Eunuchi enim peccant cogitatione et desiderio libidinis, dolentque se illam non posse experiri et explere. Vide dicta *Ecl. xx, 2*, et *xxxix, 21*.

PROPTER REGNUM CÆLORUM, — per virtutem continentia promerendum. Ita Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Euthymius hic et S. Augustinus, *De S. Virginitate*, cap. xxxii. Perperam ergo hæretici sic exponunt, « propter regnum cælorum, » scilicet predicandum, q. d. Sunt eunuchi, qui se castrant, id est continent ab uxore, ut expeditiores sint ad predicandum Evangelium, aut ut careant mellestis quasi parit res uxoria: non enim solum hæc de causis laudanda et optanda est continentia, sed etiam precise in se, quia ipsa ingens est virtus, siquæ victoria, quæ homo vincit libidinem, mentemque attolit ad cœlestia meditanda.

et prosequenda : quare ipsa ex hominibus facit Angelos. Vide S. Augustinum, S. Basilium, S. Chrysostomum et alios, qui de Virginitate scripserunt, ubi miris eam encomiis celebrant.

QUI POTEST CAPERE, CAPIAT. — Arabicus : Qui potest portare, portet. Nota hic consilium Evangelicium celibatus a Christo promulgatum et omnibus propositum, imo consilium, sed non preceptum. Hæc enim verba : a qui potest capere, capiat, sunt hortantis et animantis ad cœlibatum, ait S. Hieronymus et Chrysostomus, ac proinde significant illum a Christo consili, ideoque eundem esse in nostro arbitrio et potestate, si gratiam Dei invocare illi que strenue cooperari velimus. Nec obstat quod dicit, « qui potest ; » hoc enim significat duntaxat cœlibatum esse rem arduam, q. d. Qui vult sibi vim inferre, qui vult libidini generose resistere, qui vult ad arduum continentie culmen conscendere, ille eandem amplectatur, « capiat » et « capessat. Sic adolescens, nolens ducere quandam sibi displicentem, apud Comicum ait : « Non possum, mater, » id est nolo eam ducere, hoc enim mihi valde difficile est, ideoque quasi impossibile : omnes ergo fideles habent potentiam non proximam, sed remotam ad continentiam. Ita Patres citati vers. 11. Audi unum ex omnibus et pro omnibus S. Chrysostomum : « Ideo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt ; palma proposita est : qui concupiscit gloriam, non cogitat ac labore. Nemo vinceret, si omnes timerent periculum. » Audi et S. Hieronymum, lib. 1 Contra Jovin. : « Proponit agnoscere premium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis braviunt, ostendit purissimum fontem et clamat : Qui sinit, veniat ad me et bibat ; qui potest capere, capiat. » Hinc liquet, quam carnalis et bruta sit Calvinii expositio, quæ talis est, q. d. Vos, o Apostoli, cœnsetis bonum esse sine uxore vivere, sed ego prohibeo, ne quis ita facere conetur, nisi certus sit se id facere posse, id est sine uxore vivere. Christus enim non prohibet, sed hortatur ad cœlibatum ; nec quis de eo certus esse potest, nisi aut revelationem a Deo habeat, quod esse paucissimorum, vel suam constantiam confirmando experiat et probet : prius ergo continentiam experiri quis debet, antequam de ea certus sit ; quomodo ergo prius de ea certus esse debet, antequam eam experiat ? ut vult Calvinus. Pejor Lutherus docuit tam impossibile esse homini carere uxore, quam cibo et potu ; nimirum ipsis et hæreticis, hoc est impossibile, at non orthodoxis, Christi fide et gratia roboratis.

13. TUNC OBLATI SUNT EI PARVULI, UT MANUS EIS IMPONERET, ET ORARET. DISCIPULI AUTEM INCRIPABANT EOS ; — quod Christum rebus majoribus, puta viris docendis adeo occupatum, ad parvulos, rationis suo carentes, advocaret, quasi vile et indignum Christo tanto Propheta esset cum pueris agere. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Jansenius, Maldonatus et alii. « Par-

vuli, » Græce παιδία, id est pueruli. Lucas, xviii, 15, habet βεβητα, id est infantes ; infantia autem durat usque ad septennium.

Moraliter : discant hic principes a Christo, qui est « Rex regum et Dominus dominantium, » omnibus etiam pauperibus, feminis, pueris ad se faciem dare aditum, eorumque preces et vota benigne audire et exaudire. Hoc fecere præ aliis Romanis Imperatoribus, licet Gentilibus : Primo, Adrianus, de quo Spartianus : « h. colloquia, inquit, etiam humillimorum civilissimus fuit, detestans eos qui hanc voluptatem humanitatis, quasi servantes fastigium principis, sibi inviderent. » Secundo, Titus Vespasianus ejus, teste Suetonio, hæc erat vox : « Non oportere quemquam a sermone Principis tristem discedere ; » et quo die nulli benefecerat, gemens aiebat : « Diem perdidit. » Tertio, Trajanus, de quo Plinius in Pannogr. : « Non tu, inquit, civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis : heret latere tuo quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit. » Et paulo inferius : « Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora ; audiuntur statim, dimittuntur statim. » Et de eodem Eutropius : « Culpantibus, ait, amicis quod nimis circa omnes comis esset, respondit : Talem debere Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset. » Quarto, Alexander Severus, de quo Lampridius : « Moderatissimus, inquit, tante fuit, ut nemo unquam ab ejus latere submovetur : ita se omnibus blandum affabilemque præbebat, ut amicos non solum primi et secundi loci, sed etiam inferioris egrotantes inviseret. » Denique, et Christianis Theodosius Senior Imper. « Crebre egressu, ait Pacatus in ejus Panegy., expectantibus popalis te fateris, nec videri modo patiens, sed facilis adiri : e proximo accipis vota omnia tuorum. »

UT MANUS EIS IMPONERET. — Ut manuum impositione eis benediceret, ac benedicendo divinam gratiam eis imprecaretur et imploraret ; itaque pro eis oraret, ut in viros sapientes et sanctos adolescerent. Hanc priscam Hebræorum fuisse consuetudinem, colligitur ex Gen. xlviii, 14, ubi Jacob, cancellatis in formam crucis manibus, benedixit Ephraim et Manasse, parvulis Josephi filius. Et ex Eccli. iii, 14, ubi ait : « Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. » Vide ibi dicta. A Christo mos hic derivatus est ad Christianos, ut laici, maxime pueri, a sacerdotibus et sacerdotibus petant et obtineant benedictionem etiam extra Ecclesiam, ut fit in Belgio, ubi pueri certatim ad sacerdotes et viros religiosos transeunt accurrunt, ab eisque petunt cruce se signari et benedicti : itaque facere docentur a Catechistis, æque ac a parentibus ; quam consuetudinem laudat hic Auctor Imperfecti. Adit Remigius hanc consuetudinem apud Judæos fuisse ante Chris-

Aluand. Sever.

Theod. sili.

Mo. ph. in. h. d. d. d.

tum. Magnus ille Thomas Morus, Anglie decus et martyr, existens regni Cancellarius, publice a patre sena postulavit benedictionem, teste Stapletonio in ejus Vita. Porro, hanc ceremoniam impositionis manuum, exemplo Christi usurpat Ecclesia in Baptismo, Ordine, Penitentia, et quandocumque heretici in Ecclesiam recipiuntur : est enim ipsa quasi imprecatio et collatio Spiritus Sancti.

14. JESUS VERO AIT EIS : SENTITE PARVULOS, ET NOLITE EOS PROHIBERE AD ME VENIRE : TALIS EST ENIM REGNUM CŒLORUM. — CAUSAM cur Christus adeo amet parvulos, quinque naturales eorum dotes assignat hic Victor Antiochenus, scribens in cap. x Morei, 13 : « Est enim parvuli, ait, anima candida, et ab omnibus vitiosis affectibus libera : quandoquidem puerulus tristia passus, aut injuria a quopiam affectus, neque injuriarum reminiscitur, neque vindictam meditatur : verum quasi nihil incommodi tulerit, ad eum qui læserat tanquam ad amicum ultro accedit. Pari modo, licet graviter a matre cadatur, accurrit nihilominus præ ceteris ad ipsam, unamque illam aliis omnibus mulieribus potiore ducit. Et si reginam diademate redimitam ostenderit, non anteponi eam matri quantumlibet vilibus pannis induta, aetque magis illam videre pannis oblitam, quam reginam splendido corporis cultu ornatam. Ad hæc nihil prorsus plus exigit, quam naturæ necessitas deposcit. Quare ut prima mammarum succo sese explevit, statim matrem ubera deserit. Præterea de earum rerum jactura, quas nos maxime facere consuevimus, ut sunt pecunie, gemme aliæque ejusmodi, nihil prorsus movetur aut contristatur. Denique non stupet, nec rapitur ob corporum venustatem, ut cæteri mortaliu solent. Propter hæc ergo Dominus dixit : Talium est regnum cœlorum : nempe per hoc nos admonens, ut studio certaque voluntatis electione talia faciamus, talemque affectum induamus, qualem ipsi ex naturæ suæ qualitate induti sunt. » Sic Christus S. Edmundum, Cantuariensem postea episcopum ; S. Nicolaum, S. Catharinam Senensem et alios eminentes sanctos a puero sibi elegit, et benedixit. Gelasius, puer Placentinum, cum S. Opilium fraterculum suum in cubiculo orantem invenisset, Angolorum multitudinem cum eo colloquentem propriis oculis vidit, vocemque audivit : « Sinite parvulos venire ad me : talium enim est regnum cœlorum. » Cum autem ætate cresceret, vite quoque sanctitate crescebat, ac tanquam oliva fructifera in domo Domini, uberes honorum operum fructus proferebat : sieque tenera adhuc ætate migravit ad Christum. Ita habet officium Ecclesiæ Placentinæ Romæ approbatum, et ex eo Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiane, ad diem 4 februarii.

Tres pueri S. Basilii Patriarchæ mortem damnatus, tres pueros, quos in fide et

pietate educarat, voluit ante se capite plecti, ne a quopiam seducerentur, sed eos Christo offerens velut innocentes victimas, aiebat : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et portentum, » ut habetur in Vita sancti Artemii apud Surium. Vide dicta Ite vii, 18, et Hebr. ii, 14. Plura exempla amoris et cure Christi ac B. Virginis erga parvulos, 1. cœnset noner Philippus Berlemontius in Paradiso puerorum.

Moraliter : discite hic quanta cura pueri educandi sint, docendi et catechizandi, ut puri permaneant. Nam

Quo semel est imbuta recens, servavit odorem Testa dia.

Fecit hoc studiose Joannes Gerson, existens Cancellarius Parisiensis, qui et librum hæc de re conscripsit, ex quo nonnulli Davi, Galat. vi, 6. Vide Petrum Ribadeneiram in Vita S. Ignatii, lib. III, cap. xxiv, ubi multas et graves affert causas et utilitates, ob quas Societas Jesu complexa sit scholas et instructionem puerorum.

Imo S. Basilium idipsum faciendum esse ex hisce Christi verbis probat. Nam in Regulis brevior. disp., Interrog. 292, querit : « An conveniat, ut inter fratres magister sit puerorum secularium ? » ac respondet affirmative : « Servetur, inquit, quod præceptum est a Domino, qui dixit : Sinite parvulos venire ad me : talium est enim regnum cœlorum. » Parvuli enim in viros et civis evadunt, et quod didicerunt pueri, hoc retinent grandævi. Parvuli ergo sunt seminarium Ecclesiæ et reipublicæ.

TALIUM (SITYUS, eorum qui sunt sicut isti) ENIM EST REGNUM CŒLORUM. — « Talium, » scilicet qui parvulis humilitate, simplicitate, candore, innocentia sunt similes, ut jam dixi ex Victore Antiocheno. Unde Lucas addit : « Quicumque non acciperit regnum Dei ut puer, non potest intrare in illud. » Ita Origenes, S. Hieronymus, Theophylactus et Euthymius. Sensus est, q. d. Christus : mea dignitate non est indignum pueris benedicere, quia per benedictionem meam apti fiunt regni cœlorum, cum vos, o Judei adulti, qui toties me docentem audistis, ob superbiam aliæque vitia in quibus occultistis, ad illud adhuc sitis inepti. Quare ut apti fiat, parvulos hosce vobis imitando statuo. Omnis enim animi volentis se preparare ad regnum cœlorum Christi gratia obtinendum, exemplum et idea est puerilis simplicitatis. Audi S. Ambrosium, lib. VIII in cap. xviii Luc. : « Etas hæc, inquit, infirma est viribus, invalida ingenio, immatura consilio. Non igitur pueritia, sed emula puerilis simplicitatis bonitas designatur. » Et mox symbolice : « Quis ergo puer imitandus est Apostolis Christi ? Ille de quo Isaias dicit : Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Ipse enim tibi puer dicit : Tolle cruceam tuam, et sequere me. Et ut agnoscas puerum : cum malediceretur, non maledixit ;

Sancti et indigni me viri a puero sibi elegit, et benedixit. Gelasius, puer Placentinum, cum S. Opilium fraterculum suum in cubiculo orantem invenisset, Angolorum multitudinem cum eo colloquentem propriis oculis vidit, vocemque audivit : « Sinite parvulos venire ad me : talium enim est regnum cœlorum. »

Tres pueri S. Basilii Patriarchæ mortem damnatus, tres pueros, quos in fide et

cum percuteretur, non repercutit: hæc est enim perfecta virtus. Itaque et in pueritia est quædam venerabilis morum senectus, et in senectute innocens pueritia. » Hinc patet perperam Anabaptistas arceri parvulos a baptismo, ac consequenter a Christo et regno colorum, eo quod parvuli non utantur ratione, nec possint credere: licet enim actu non credant, habitu tamen credunt, quia in baptismo infunditur eis habitus fidei, gratie et charitatis: crederent quoque actu in fide Ecclesie, id est parentum et fidelium Ecclesie qui crebro actus fidei eliciunt pro se et suis omnibus.

15. **15. ET CUM IMPOSITISSET EIS MANUS, ABIT INDE.** — Manus Christi erant vivificæ et salvificæ. Unde Lucas, cap. IV, 40, ait: « At ille singulis (infirmis et ægris) manus imponens, curabat eos. » Ratio est, quia manus est organum organorum: quare divinitus Christi per manus divinam suam vim et gratiam exerebat in eos quos tangebatur, salutem eis corporis animique dans, vel in circumcissione aliasve datam adaugens, ac occulta sua virtute eos sanctificans, Deoque offerens et quasi consecrans. Unde non est dubium, hos parvulos a Christo benedictos evasisse in viros sapientes et sanctos, qui deinde Ecclesias erexerunt et fidem Christi propagarunt. Ita Franciscus Lucas.

16. **16. ET RECER UNUS ACCEDENS, AIT ILI: MAGISTER BONE, QUID BONI FACIAM, UT HABEAM VITAM ÆTERNAM?** — « Unus; » S. Hieronymus putat fuisse legisperitum de quo Lucas, x, 25; ideoque tendenti animo ad Christum accessisse. Melius S. Chrysostomus censet hunc alium esse ab illo Luca, qui candido corde, ut pueris se similem redderet, juxta Christi præceptum, ab eo animo sincero petiit, qua ratione vitam æternam parvulis eorumque similibus paulo ante a Christo promissam, consequi posset; unde hic est ille cuius meminit Lucas, xviii, 18. Id ille esse patet utrumque conferenti. Idipsum magis patebit ex sequentibus, præsertim ex vers. 22, ubi dicitur quod audita Christi doctrina de perfectione: « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, » abierit tristis, eo quod esset dives; quod signum est eum sincero salutis suæ animo et studio hæc postulavisse a Christo.

MAGISTER BONE. — Est hæc simplex salutandi et compellandi phrasîs Hebræorum, qua benevolentiam doctoris et prophete captant, q. d. Rabbi, scio te esse bonum, tum virum, tum doctorem, tum prophetam, qui me et alios optime doceas ea, quæ vere bona sunt et ad beatitudinem ducent. Hic ergo mihi quid boni præ cæteris faciam, ut summum bonum in celo consequar? Ludit enim in voce bonum.

17. **17. QUI DIXIT EI: QUID ME INTERROGAS DE BONO?** — Legit Interpres: τί με ἰσχυρίζῃ; ἢ ἐπὶ ἀγαθῷ, sic quoque legunt S. Augustinus et S. Hieronymus in Comment. jam vero legunt: τί με ἰσχυρίζῃ; ἀγαθῷ, id est quid me dicis, vel vocas bonum? Utramque

lectionem ponit Origenes (1). Causam subditi, dicens:

UNUS EST BONUS, DEUS, — scilicet natura sua et per essentiam. Retorquet Christus humiliter laudem et bonitatem suam in Deum, ut nos idem doceat facere: quia hic interrogans non habebat plenam de Christo fidem, sed credebat eum esse Deum. Ad hanc ergo fidem eum quasi oburgando attollere et extimulare voluit Christus, q. d. Si me vocas bonum, crede me esse Deum; nemo enim per se bonus, nisi Deus. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. Porro, Deus solus per essentiam est bonus, quia sicut ipse solus verum, solidum et plenum habet esse (unde ipse ait, Exodi iii: « Ego sum qui sum, » q. d. Vos ergo, o angeli et homines, non estis, si mecum comparimini, quia meum esse tantum et tam plenum est, vestrum vero tam exile et diminutum, ut mei respectu potius non esse quam esse videamini), ita pariter solus Deus est bonus, sapiens, potens, justus; quia ab eo omnes angeli et homines participant guttam, vel potius umbram quamdam bonitatis sapientie, potentie, justitie. Vide dicta Amos vi, 13, et Exodi iii, 14.

Porro, bonum idem est quod perfectum, et bonitas ejus rei est perfectio. Deum autem perfectum esse pluribus probat S. Dionysius, De Divina Nomin., cap. xiii. In Deo enim est immensa perfectio tam nature quam sapientie, potentie, sanctitatis et virtutis. Est ergo in eo summa bonitas, tum naturalis, tum moralis, tum supernaturalis. Quocirca ipse est fons omnis bonitatis, in qua omnia creaturarum bona sunt collecta, et infinitæ meliora quam sint in creaturis. Quare in Deo eminenter est auri decor, gemmarum splendor, deliciarum sapor, musicæ harmonia, horum amenitas, et quidquid in creaturis est pulchrum, amabile, jucundum, deliciosum. Hinc a Deo mel haurit suam dulcedinem, sol suos radios, stelle suum lumen, coeli suum deus, angeli suam scientiam, homines suam virtutem, animalia suum sensum, plantæ suam vitam, cætera omnia quidquid habent boni, imo totum suum esse a Dei bonitate et essentia, velut guttam et pelago emendicant. In Deo igitur est omne bonum, idque in perfectissimo et immenso gradu; in Deo est omnis amoris illicitum, omnis desiderii consummatio, omnis appetitus satisfactio: cur ergo, o miser homo, per exilia hæc bona creata vagaris, ideoque non satisfaris? Quære bonum in quo omne bonum, ama et ambi Deum; hic solus tuam silitim et appetitum plane et plene exsatiabit, tum in hac vita per gratiam, tum magis in futura per gloriam, imo per seipsum; in celo enim Deus seipsum quasi summum bonum Beatis videndum, gustandum et fruendum exhibet.

(1) Priorem lectionem dat Aug. Habitus, et multi patrocinantur; si cum Griesbachio et Lachmanno posteriorem anteposueris, tam sic interpretare: quid me interrogas quasi bonus essem, seu, me bonum appellans?

Imple
Galilei
expositio
tis.

SI AUTEM VIS AD VITAM INGREDE, SERVA MANDATA.

— Calvinus stolidæ æque ac impie censet Christum hic per ironiam irridere adolescentem, suis legalibus operibus confisum: nec enim viam in celum esse observationem mandatorum, utpote homini impossibilem, sed fidem. Quot hic sunt verba, totidem errores sunt et hereses, imo blasphemie, quæ Christi sensui et sententia ex diametro adversantur, eamque funditus subvertunt. Unde liquet Calvinum agi spiritu non Christi, sed Antichristi. Vide nostros Maldonatum et Adamum Contzen, qui ex professo in Evangelia commentantur ut Calvinum et Novantes confutent: nos ad alia Orthodoxis utiliora pergamus. Docet ergo hic Christus, non solum fidem justificare et salvare, sed et opera bona requiri, quibus legem implendo, mereamur brevium æternæ vitæ et gloriæ, legem implentibus a Deo promissum. Instat Calvinus: Saltem Christus per mandata Dei hic excludit præcepta et traditiones Ecclesie, puta Pontificum et Prælatorum. Respondet ea contineri quarto Dei mandato: « Honora patrem et matrem, » scilicet tam spiritalem, uti sunt Pontifices et Prælati, quam carnalem.

18. **DICIT ILI: QUÆ? JESUS AUTEM DIXIT: NON HOMICIDUM FACIES, NON ADULTERABIS, NON FALSUM TESTIFICUM DICES:**

19. **HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM, ET DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSEM.** — Syrus, sicut animam tuam. Hæc mandata exposuit Deuter. cap. v, vers. 6 et seq. Porro, Christus præcipit hic duntaxat præcepta secunda tabule proximum spectantia, quia in illis includuntur præcepta primæ tabule Deum concernentia. Nam amor Dei producit amorem proximi, hunc enim amamus propter Deum: quare amor proximi manet ex amore Dei. Rursus difficillius est amare proximum quam Deum. Quis enim non amet Deum præsertim religiosus, qualis erat hic juvenis?

20. **DICIT ILI ADOLESCENS: OMNIA HEC CUSTODIVI A JUVENTUTE MEA** (Syrus et Arabicus, a pueritia mea; q. d. a puero in lege Dei educatus et gratia Dei præventus, servavi studiosè omnia præcepta Dei; rarum hoc est juvenutis exemplum): **QUID ADHUC MIHI DEEST?** — (Syrus, in quo defectuosus sum) boni et bonitatis? ut in ea perficiatur et habeam vitam æternam, (ut petit vers. 16) non quomodocumque, ut habent omnes qui servant præcepta, sed secure et certo ac in magno, imo in primo perfecteque felicitatis et gloriæ gradu. Tu enim, o Christo, quas cælestis virtutis magister, videris illius altiore præ nostris Scribis tradere semitam et doctrinam: die ergo mihi quenam illa sit; ego enim salutis et perfectionis avidus, cupio illam capessere. Porro, S. Hieronymus censet hunc adolescentem hic esse mentitum: Si enim, inquit, dilexisset proximum suum sicut seipsum, omnia sua vendidisset et dedisset pauperibus. Verum hæc ratio non plane convincit; quia dili-

gere proximum sicut seipsum, est præcepti; sed dare omnia sua pauperibus, est consilii. Unde Christus, ait Marcus, intuitus eum dixit, et consilium hoc de dando sua pauperibus, ut eum ad perfectionem subveheret, suggestit.

21. **AIT ILI JESUS: SI VIS PERFECTUS ESSE, VADE, VENDE QUÆ HABES, ET DA PAUPERIBUS, ET HABEBIS THESAURUM IN COELO, ET VENI, SEQUERE ME.** — Est hoc Evangelicum non præceptum, sed consilium. Unde ait, « si vis, » q. d. Non jubet, sed consulo et ad summum perfectionis culmen te extimulo. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Hilarius, Chrysostomus et alii passim. Vide De Sancta Virginitate, ubi pulchre contra hæreticos consilia a præceptis distinguit. Marc. cap. x, 21, addit: « Jesus autem intuitus dilexit eum, et dixit ei: Uuum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus. » Hanc Christi vocem in missa legi audiens S. Antonius, reliquit omnia, Christumque nudus secutus est, ait S. Athanasius. Idem plane fecit S. Prosper, Regensis postea episcopus, tempore S. Leonis, ut habet ejus Vita apud Surium die 23 junii. Sic et S. Francisus. Audi S. Bonaventuram in Vita ejus, cap. iii:

« Primus, inquit, qui se socium S. Francis adjuvxit fuit Bernardus. Hic enim servi Christi paupertate comperit, ipsius exemplo disponens perfecte contemplare mundum, ab eodem, qualiter id perferret, requisivit consilium. Quo audito, Dei famulus pro propria prole conceptu Sancti Spiritus consolatione repletus a Deo est, inquit, hoc consilium requirendum. Intraverat proinde ecclesiam S. Nicolai mane jam dicto; et oratione præmissa, cultor Trinitatis Francisus ter Evangeliorum librum aperuit, trino a Deo exposcens testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus. In secunda: Nihil tuleris in via. In tertia vero: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Hæc est, ait vir sanctus, vita et regula nostra, omniumque qui nostræ voluerint Societati conjungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, et perface quæ audisti. »

Merito ergo S. Bernardus in Declam., sub initium: « Hæc sunt verba, ait, quæ contemptum mundi in universo mundo et voluntariam hominibus persuasere paupertatem. » Sæpe sunt, quæ monachis claustra replent, deserta arachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spoliarent, et optima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus et efficax convertens animas, felici emulacione sanctitatis et veritatis promissione fidelis. Dixit enim Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia. » Quocirca S. Hieronymus hæc Christi voce quasi tuba suos passim, et nos omnes ad studium paupertatis extimulat. Unde, epist. 130 ad Hedibram: « Vis, inquit, esse

vers. 21.
Luc.
xviii, 21.
Marc. x,
21.
Christi
et consilium
de
paupertate
16.

perfecta, et in primo stare fastigii dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli. Vende quae habes, et da pauperibus, et sequere Salvatorem, et nudam solamque erucem virtute nuda sequaris. » Idem S. Hieronymus, in epist. 8 ad Demetriadem: « Apostolici fastigii est, ait, perfectaeque virtutis, vendere omnia et pauperibus distribuere, et sic levem atque expeditum cum Christo ad caelestia subvolare. » Luculentius idem, epist. 24 ad Julian.: « Et hoc hortor, ait, si vis esse perfectus, si Apostolicae dignitatis culmen cupis, si sublata cruce Christum sequi, si apprehenso aratro non respicere post tergum, si in sublimi tecto positus pristina vestimenta contemnis, et ut evadas Aegyptiam dominam, saeculi pallium derelinquis. Unde et Elias ad caelorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundo immunda vestimenta dimittit. Sed hoc, ais, Apostolicae dignitatis est, et ejus qui velit esse perfectus. Cur autem et tu nolis esse perfectus? cur qui in saeculo primus es, non in Christi familia primus sis? » Idemque paulo post: « Quod si teipsum, inquit, Domino dederis, et Apostolica virtute perfectus sequi coperis Salvatorem, tunc intelliges ubi fueris, et in exercitu Christi quam extremum teneris locum. »

Nota: perfectio Christiana primo et primario consistit in charitate; in paupertate tamen et consiliis Evangelicis Christo collocaat, tanquam in mediis et instrumentis appositis ad charitatem acquirendam. Vide S. Thomam, II II part., Quest. CLXXXIV, art. 3. Hanc perfectionem sectantur omnes religiosi, qui omnia bona abdicant, ut nudum Christum nudi sequantur: non tamen omnes initio statim perfectionem hanc adipiscuntur, sed sensim eo tendunt et assidue proficiendo tandem ad eam perveniunt. Hinc sapienter Climacus, Gradu 26, tres eorum gradus constituit, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. Incipientibus hoc alphabetum 24 non litterarum, sed virtutum, ediscendum mentique imprimendum tradit: « Optimum, inquit, omnium elementorum alphabetum hoc est, obedientia, jejunium, cilicium, cinis, lacrymae, confessio, silentium, humilitas, vigiliae, fortitudo, frigus, labor seu fatigatio, aerumna, contemptus, contritio, injuriarum oblitio, fraterna charitas, lenitas, fides simplex et incuriosa, mundi neglectio, parentum odium minime odiosum, liber ab omnibus rebus affectus, simplicitas cum innocenta conjuncta, voluntaria vilitas. » Proficientibus deinde haec majorum virtutum dogmata assignat: « Proficientium vero sors et ratio est, de inani gloria et iracundia victoria, bona spes salutis, quies animi, discretio, firma et fixa iudicii extremi memoria, misericordia, hospitalitas, modesta objurgatio, oratio omni vitioso carens affectu. » Perfectis denique hos plene sanctitatis apices tradit: « Cor ab omni captivitate liberum, perfecta charitas, fons humilitatis, mentis e

mundi vanitate emigratio, Christi immigratio, lucis et orationis divinae thesaurus a praedonibus securus, illustrationis divinae copia, mortis desiderium, odium vite, corporis fuga. » Addit deinde virum perfectum adeo sanctum Deoque gratum esse debere, ut sit « legatus seu patronus et advocatus mundi, qui Deum quodammodo cogere possit; Angelorum collega et symmista, profundissima scientiae altitudo, caelestium mysteriorum domicilium, custos divinarum arcanorum, sive Deo ab secretis, hominum salus, demonum Deus, vitorum dominus, imperator corporis. »

VADE, VENDE OMNIA. — Queres, cur paupertas est propria via et instrumentum perfectionis Evangelicae? Respondet S. Bonaventura in Apol. pauperum, quia radix omnium malorum est cupiditas: haec igitur est fundamentum civitatis Babylonicae, ex ea enim nascitur ambitus, gulaceteraque vitia: hanc cupiditatem Christus succidit per paupertatem; paupertas ergo primo, succidit et tollit opes, honores, delicias, quae sunt materia et fomes omnium vitiorum. Deliciae enim effeminant animos, et mulieres decent, non viros. Virile ergo robur abhorret a deliciis. Secundo, paupertas parit humilitatem, quae est fundamentum sanctitatis. Unde S. Franciscus, ait S. Bonaventura, rogatus a suis quoniam virtus nos maxime Christo Domino commendaret gratosque faceret, insolito quodam affectu respondit: Paupertas; ea enim est via salutis, humilitatis fons, perfectionis radix, et ab ea multiplices fructus existunt, licet oculi et paucissimis cogniti. Tertio, pauper spiritu, cum non habeat alias curas, totus studet virtutum congerendis, quasi apis mellis suo. Ita S. Antonius ab opum cupiditate liber, insatiabile habebat desiderium virtutum, ideoque ab hoc discebat patientiam, ab illo silentium, ab alio abstinentiam, ab alio constantiam, orationem, etc. Hinc praei religiosi pauperes vocabantur ascetae, id est exercitatores, quia toti erant in edomanda ira, gula alisque passionibus, in exercitatione arduam et heroicam virtutum: unde aliqui hiduo, alii triduo semel tantum sumere cibum assuescebant; alii vix dormire, ut illi qui versabantur in monasterio Aemeterum, id est vigilantium, non dormientium. Quarto, quia perfectio consistit in charitate Dei et proximi; ad hanc autem dirigit paupertas: tollit enim meum et tuum ex quo omnes lites et bella vultum infer proximos, ait Chrysostomus; eadem avellit animum ab omni cura et amore rerum terrenarum, itaque eum totum in Deo delegit; quod enim ait de conjugato Apostolus, I Corinth. vii: « Qui cum uxore est, cogitat quae mundi sunt, quomodo placeat uxori, et divisus est; » hoc congruit et diviti. Hic enim divisus est, dividit enim curas et cogitationes inter Deum et mammonam, sive opes suas. Paupertas ergo facit hominem supe-

Paupertas via ad perfectionem.

riorem mundo et carne, quasi angelum versantem cum Angelis, suspirantem ad caelum, facitque illud Apostoli: « Quae sursum sunt sapite, non quae super terram, » ut totam mentem, amorem, cogitationem, curam transferat in Deum fiatque eum eo quasi unus spiritus. Perfectio igitur consistit in eo, ut mens plane avellatur a rebus caducis et figatur in bono aeterno, id est Deo, quod praestat paupertas.

Dices: Ad hoc sufficit relinquere omnia affectu, non reipsa et effectu, uti fecit Abraham. Respondet cum S. Hieronymo Contra Vigilant.: Iste unus est gradus paupertatis, sed inferior; nam summus est, relinquere etiam effectu, tum quia hic dat totum, puta affectum et effectum; tum quia non potest plane affectu relinquere, nisi et effectu. Sicut enim qui cubans in lecto vel sedens in sede, si qui secreto cum sedi alligat, nescit se ligatum donec surgat: ita qui habent opes, occultum habent affectum quo eis colligantur, quem non sentiunt, nisi dum illas perdunt vel relinquunt. Ita S. Gregorius, epist. ad lib. Moral., se in saeculo deceptum esse narrat: « Aperiebatur, ait, mihi jam tunc de aeternitatis amore quod quaerem, sed in solita consuetudo me devinxerat, ne exteriorum cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus presenti mundo quasi specie tenus deservire, coeperunt multa contra me ex ejusdem mundi cura succrescere, ut in eo non jam specie, sed, quod est gravius, mente retinerer. » Vide Hieronymum Platam, lib. III De Bono status relig., cap. xxvii. Vide et quo annotavi Actor. iv, 32.

VADE, VENDE QUAE HABES. — Hinc Pelagiani dicebant nullum divitem posse salvari, nisi sua divideret daretque pauperibus, ac fieret pauper: contra quos scribit S. Augustinus, epist. 89 ad Hilarium, docens hoc esse consilium, non praecipuum: unde hunc suum errorem revocare coactus est Pelagius, teste S. Augustino, epist. ad Paulinum.

Extant tres libelli nuper recens nomine S. Sixti Pontificis. Primus est de divitiis, quo ex hoc loco probat fidelem non posse salvari, nisi eas relinquat, et fiat pauper. Secundus, de operibus fidei, in quo docet ea requiri ad salutem; sed esse opera liberi arbitrii, non gratiae Dei. Tertius, de castitate, in quo asserit castitatem esse opus liberi arbitrii, non donum Dei. Ex quibus liquet auctorem hujus libri non fuisse S. Sixtum, sed Pelagianum, quem, uti recte advertebant Doctores Lovanienses, Lindanus, Baronius, Possivinus, et Parisienses in tomo V Biblioth. SS. Patrum, ubi hos libellos inseruerunt cum censura jam dicta. « Vende quae habes, et da pauperibus. » Marcus, x, 16, et Lucas, xviii, 22, addunt: « Omnia quaecumque habes vende, et da pauperibus. » Unde hic arguitur error Vigilantii et Calvinii, qui docent melius et perfectius esse suas opes red

et tempore dare eleemosynas, quam simul omnia relinquere, quem confutat S. Hieronymus, lib. Contra Vigilant. Nam, ut ait S. Anselmus: « Plus est dare arborem cum fructibus, quam solos fructus. » Rursus asceta, qui partem opum suarum dat pauperibus, partem vero sibi retinet, nec piscis est, nec caro, id est nec renuntians saeculo, nec secularis, sed amphibium quid. Unde S. Basilus cuidam capepenti vitam religiosam, sed quaedam sibi reservandam dixit: « Senatorem perdidisti, et monachum non fecisti, » teste Cassiano et aliis. Ad haec talis non plene sedit Deo, sed partim Deo, partim opibus quas sibi reservat. Unde non vere et plene est pauper spiritu, nec se liberat cura, distractione et tentatione quam ingerere solent divites. Qua de causa S. Antonius cuidam sic saeculo renuntiare volenti, ut aliqua in tempore necessitatis sibi reservaret, jussit ut nudo corpori suo carnes a se emptas imponeret, quod cum ille fecisset, certatim canes et aves ad carnem hanc rapendam accurrentes, totum ejus corpus laceraunt. Tunc Antonius: « Qui non renuntians omnibus, sic, inquit, lacerauntur a daemonibus, » uti refert Rufinus in Vitis Patrum, lib. III, num. 68. Quocirca S. Hilarion, teste S. Hieronymo in ejus Vita, opes sibi ab Orione, a quo legionem daemonum expulerat, oblatas, ut eas in pauperes distribuere, respiciens: « Multis, inquit, nomen pauperum occasio avaritiae est, misericordia vero artem non habet: nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat. » Nam, ut sapienter in simili re ait S. Leo, serm. 12 De Quadragesima: « Per licitos usus ad immoderatos transitur excessus, dum per curam salutis irreptit delectatio voluptatis, et non sufficit concupiscentia, quod potest satis esse natura. » Rationem a priori dat S. Gregorius, hom. 20 in Ezechiel, longius ante finem: « Cum enim, inquit, quis suum aliquid Deo novet, et aliquid non novet, sacrificium est. Cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omnia quod sapit, omnipotenti Deo novet, holocaustum est. Nam sunt quidam, qui adhuc mentis in hoc saeculo retinentur, et tamen ex possessis rebus subsecida egenibus ministrant, oppressos defendere festinant: isti in bonis quae faciunt, sacrificium offerunt, quia et aliquid de actione sua Deo immolant, et aliquid sibi metipsum reservant. Et sunt quidam qui nihil sibi metipsum reservant, sed sensum, vitam, linguam atque substantiam quam peropererunt, omnipotenti Domino immolant. Quid isti nisi holocaustum offerunt? imo magis holocaustum sunt. » Idem docent S. Augustinus, Diadochus, Cassianus et alii, quos citat noster Hieronymus Platam, lib. III De Bono status relig., cap. ii, et S. Thomas II II part., Quest. LXXXVI, art. 3.

DA PAUPERIBUS. — Non dicit Christus, da cognatis, vel amicis divitibus, ait Remigius, hic enim est actus amoris naturalis et parentele,

uti, ac pro loco

Tres libelli sub nomine S. Sixti Pontificis in Biblioth. SS. Patrum.

Quarta.